

negatio strictè dicta seu pura est absentia entitatis alicujus seu formæ in subjecto illius incapaci : sicuti privatio ex adverso est absentia entitatis seu formæ alicujus in subjecto ejus alioquin capaci. Aliis verò Nihil negativum dicitur, quando nulla materia, nullum subjectum, unde aliquid in esse suo procedat, adest aut præsupponitur, sed sola non-repugnantia ad esse. Atque hi creationem, quantum ad opera primæ hexaëmeri creationis, *Gen. I.* descripti, diei unà cum animâ humanâ, quæ substantia spiritualis est, ex nihilo negativo pronunciant factam esse, quemadmodum KOENIGIUS *Part. I. Theol. Posit. Acreamat. §. 161.* & alii quidam, hanc eam creationem primariam dicentes; cum priores illi mundum ex nihilo, non negativo, sed privativo asserant productum. Quos inter tamen nullam intercedere pugnam, ob diversam vocis acceptionem, quemlibet omni sine difficultate agnitorum mecumque passurum, puto. Nobis itaque perinde poterit esse, sive quis Nihil, de quo quæstio formatur, & ex quo mundus productus, negativum appellaverit, sive privativum. Nam utrisque termino Nihil denotatur absentia omnimoda omnis omninò, non materiæ tantùm propriè sic dictæ, sed cujuslibet etiam naturæ subjecti, ex quo creaturæ productæ sint prodierintve.

§. II.

De ortu mundi variæ semper opiniones fuisse deprehenduntur, cum primis apud eos, quibus divinitus per Moysen revelata creationis Historia non innotuit, Gentiles puta Philosophos, quorum diversas videre sententias licet apud PLUTARCHUM *Lib. 1. de Plac. Philosoph. Cap. 3.* EUSEBIUM *Preparat. Evangel. Lib. 1. Cap. 7. 8.* coll. SPERLETTE *Phys. Nov. s. Phil. Nat. Part. 1. Disp. 1. Sect. 2.* Epicuræorum speciatim quæ hic Philosophia fuerit, docent PLUTARCHUS *l. c. Cap. 7.* EUSEBIUS *l. c.* TROGIL. ARNKIEL *de Epicuri Philos Nat. Cap. 3.* Stoicorum autem exhibent EUSEBIUS *l. c. Lib. XV. Cap. 15.* LIPSIUS *Physiol. Stoic. Lib. 1. Dissert. IV. V. & IIX.* Non fert præsentis nostræ tractationis institutum, istas sententias singulas heic exami-

exami-